



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VIII. Vtrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

D V B I V M II.

Quenam dispositio requiratur ad gratiam huius Sacramenti obtinendam?

CVM hoc Sacramentum sit Sacramentum viuorum, & per se institutum ad conferendum augmentum gratiæ, constat per se loquendo, nullum posse ad illud accedere qui non uiuat uitâ spirituali animâ, & peccatorem, per se loquendo obligari ad contritionem peccatorum eliciendam; qui per accidens non peccabit, si accedat sine contritione, vel quia inuincibiliter non recordatur peccati sui, vel quia ignorat requiri contritionem, ut peccator accedens ad hoc Sacramentum illius effectum recipiat, vel quia bona fide existimat se contritum, cum re ipsa non sit, quo casu si saltem habeat attritionem supernaturalem de omnibus peccatis, recipiet effectum huius Sacramenti, ut diximus de Sacramentis viuorum in genere quæst. 62. art. 1. dub. 3. quod etiam insinuat D. Thom. hic responsione ad 2. ubi non vult peccatorem, qui non habet conscientiam peccati, consecraturum remissionem eiusdem peccati per hoc Sacramentum sine omni penitentia, quia requirit, ut is non fictus accedat; accedit autem fictus (fictioe negatiua) qui nullum habet dolorem etiam virtualem de peccato.

Aduerte contritionem saltem bonâ fide existimatam talem sufficere, neque ex præcepto prærequiri confessionem etiam respectu peccatoris, nisi in defectum contritionis. quod ergo dicitur in Romano Pontificali: *adulti debent prius confiteri, et postea confirmari*; solum continet directionem, non verò præceptum; sicut & id, quod citat S. Th. responsione ad 2. ex Concilio Aurelianensi & refertur can. *ut ieiuni*, de consecratione, dist. 5. quamuis talis canon iam in illis Aurelianensibus Concilijs non extet.

In iusto gratia habitualis est sufficiens dispositio ad augmentum gratiæ recipiendam per hoc Sacramentum, nec requiritur ut mēs actû moueatur & feratur in Deum dum recipitur Sacramentum, ut docent varij contra Caiet. hic.

ARTICVLVS VIII.

Utrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum?

AFFIRMAT. Probat congruentiâ, quemadmodum natura intendit corporalem reum perfectionem, multo magis Deus intendit perfectionem animæ & spirituale eius augmentum; igitur homo baptizatus & per baptismum spiritualiter natus potest conuenienter hoc Sacramentum recipere ad spirituale augmentum gratiæ consequendum, & proinde hoc Sacramentum potest omnibus exhiberi. adde & in omni ætate, ut inuit in fine corporis, & apertè tradit responsione ad 2. quia in ætate puerili potest aliquis consequi perfectionem spiritualis ætatis.

Hinc deduco 1. Sacramentum Confirmationis dari posse pueris ante usum rationis, si is nunquam expectetur. ita Henriquez lib. 3. cap. 5. num. 1. & insinuat S. Thom. responsione ad 4. immo olim dabatur etiam paruulis paulo post baptismum,

nam locutiones Patrum etiam de paruulis possunt intelligi, & peculiariter Innocent. 1. epist. 1. cap. 3. Hieron. dialogo aduersus Luciferianos num. 16. & 17.

Hoc tempore quando expectatur usus rationis solet differri vsque ad aliqualem saltem rationis usum 1. ut maiore reuerentia suscipiatur Sacramentum. 2. ut euitetur periculum iterationis. 3. ut puer possit per se aliquo modo fidem profiteri.

Aduerte tamen hanc consuetudinem non videri grauius obligare, cum in Romano Pontificali satis insinuetur etiam hoc tempore posse infantibus ministrari Sacramentum Confirmationis. videri potest §. *infantes per patros*. unde in locis remotioribus ad quæ raro Episcopi se conferunt, potest hoc Sacramentum absque vlllo peccato infantibus ministrari, immò licet nulla subsit causa peculiaris, per se non est graue peccatum infantem confirmare. adhibenda tamen cautio, qua possit constare de Sacramento suscepto, ut euitetur periculum iterationis.

Deduco 2. posse etiam dari perpetuò amentibus, immò respectu illorum non subest causa differendi, cum non speretur usus rationis ut possint cum aliqua deuotione ad hoc Sacramentum accedere. potest etiam dari ijs qui, cum haberent usum rationis, bene vixerunt, licet non expresse petierint; quia per bonam vitam censentur interpretati uelle communia salutis media recipere. est contra Sorum dicta quæst. vnica art. 8. §. *enfermum autem*, qui tamen censet Sacramentum futurum validum; unde solum vult non licere dare.

Deduco 3. posse ministrari mox morituris. ita S. Th. responsione ad 4.

Dices 1. perpetuò amentes non sunt capaces peculiaris effectus huius Sacramenti. patet quia non possunt pugnare & fidem profiteri, similiter statim morituri non sunt pugnaturi.

Resp. neg. assumptum, quia finis huius Sacramenti non est sola pugna spiritualis, ad quam aliquis per gratiam huiusmodi instruitur, sed est etiam complementum hominis Christiani, ut patet ex Patribus citatis, qui censent hoc Sacramentum debere suscipi, ut quis sit perfectè & plenè Christianus. cum ergo perpetuò amentes sint capaces illius effectus, sequitur hoc Sacramentum posse illis licitè & vtiliter ministrari. quod etiam dico de mox morituro, cui licet Sacramentum non sit necessarium ad pugnam, ut Melchisedes episcopus ad Episcopos Hispaniæ, est tamen vtile ut perfectionem hominis Christiani consequatur.

Dices 2. si possit dari perpetuò amentibus & statim morituris, cur id passim negligitur cum magno illorum detrimento spirituali?

Resp. non dari, quia Episcopi propter varias occupationes non possunt ita ad morituros excurrere, nec commodè potest ea decentiâ, quâ par est, hoc Sacramentum eis ministrari. eadem est ratio amentium.

Cum iam ex consuetudine Ecclesiæ expectetur rationis usus ut hoc Sacramentum suscipiatur, queri potest quanam ætas sit expectanda? Aliqui censent annum duodecimum expectandum; sed melius plures asserunt elucescente rationis usu conferri posse, id est, sub annum septimum; quamuis, si differatur, nullum sit peccatum, cum, ut supra vidimus, hoc Sacramentum non sit necessitas. nec vera videtur sententia Sorii art. citato propositione 3. asserentis esse peccatum veniale reci-

Innoc. 1.
Hieron.

Iam solet differri vsque ad aliqualem rationis usum, ob tres rationes.

Hæc consuetudo non videtur grauius obligare.

Potest absque peccato conferri infantibus in locis, quod Episcopi raro se conferunt.

Coroll. 2.

Per bonam vitam censentur interpretati uelle communia salutis media recipere.

Resp.

Melchised.

Obiectio 2.

Resp.

Illicite rationis usu potest conferri.

Non est
peccatum
recipere
Euchar.
ante hoc
Sacramen-
tum
Petrus.

39.
Non est
mortale re-
cipere Or-
dines ante
Confirma-
tionem.
Sotus.
Suar.

Obiectio 1.
Trident.

Resp.

Obiectio 2.

Resp.

Teneantur
Episcopi
debito te-
pore illud
ministrare.

Sa.

Quædam
circa hoc
prohibita
Episcopis.

Sa.

Henriq.
Tacitus
consensus
Episcoporum
quando pre-
sumi possit.

pere Eucharistiam ante hoc Sacramentum, nullam enim ratione id ostendi potest, & antiqua consuetudo Ecclesiæ, quæ statim post baptismum succedebat Confirmatio, deinde Eucharistia, iam exoleuit.

Petes an sit peccatum Ordines recipere ante Confirmationem? Aliqui indicant esse mortale, & propter illud incurri censuram suspensionis, cum is qui ita recipit Ordines promoveatur per saltum, sed alij melius negant: Sotus suprà. Nauarr. cap. 22. num. 9. Suarez disp. 38. sect. 1. in fine, quia peccatum mortale neque colligi potest ex re naturæ, neque ex diuino præcepto, quod nullum ab Ecclesiâ cognoscitur, neque ex præcepto ecclesiastico, quia nullibi extat strictum præceptum totam Ecclesiâ obligans.

Dices 1. Trident. sess. 23. cap. 4. de reformatione ait, *primâ tonsurâ non initiuntur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.*

Resp. id non continere strictum præceptum, sed solum directionem Episcopi ordinantis, quia ea in re debet aduigilare, vel ut summum, præceptum ad illum dirigi.

Dices 2. per susceptionem Ordinis sacri saltem Diaconatus aliquis sit dux in Ecclesiâ; est autem incongruum creari ducem & alijs præfici eum, qui non sit miles.

Resp. inde solum concludi esse minus decens, & fortè innuere aliquam deformitatem; non tamen mortalem.

Nec ulla censura propterea incurritur; neque enim talis promotio censetur per saltum ad sensum Canonum, iuxta quos promotio per saltum est, cum neglecto Ordine inferiori vel etiam primâ tonsurâ, superior suscipitur.

Aduerte, quod licet fideles non obligentur stricto præcepto hoc Sacramentum recipere, Episcopi tamen teneantur debitum temporibus illud ministrare volentibus recipere. nam ratione officij teneantur Sacramenta non solum necessaria ministrare, sed etiam vtilia, quæ iuste & vtiliter ab eis peti possunt; cum pastor non tantum in necessarijs ad salutem debeat ouibus providere, sed etiam in vtilibus. vnde notabilis negligentia in hoc Sacramento ministrando est mortalis, ut notant varij. videri potest Sa verbo *Confirmatio*. num. 12. & alij. vbi.

Notandum Episcopum non posse hoc Sacramentum conferre in aliena diocesi, sine licentia Episcopi loci. non posse etiam alienos confirmare, sine tacito saltem consensu proprii Episcopi; nec Archiepiscopum visitantem diocesim sui Suffraganei posse eiusdem subditos confirmare; quia id iure non conceditur, & de cætero subditi Suffraganei non subduntur illi, exceptis quibusdam casibus iure expressis, inter quos præsens non continetur.

Tacitum consensum censent præsumi Sa suprà num. 2. & Henriquez lib. 3. cap. ultimo. num. 6. quando alieni concurrunt, quod est probabile saltem quando non ita commodè possunt hoc Sacramentum à proprio Episcopo recipere, ut contingit quando episcopus proprius raro obit functiones Episcopales, vel subditi procul distant à domicilio Episcopi, ad quod difficulter possunt proficisci, & Episcopus ad eorum partes raro proficiscitur; tunc enim præsumendum, eum consentire ut possint hoc Sacramentum recipere ab alio qui possit commodè conferre.

Quod dictum est de subditis alterius Episcopi,

non est intelligendum de subditis inferioris prælati qui intra terminos alicuius Episcopatus habet iurisdictionem episcopalem in seculares, hos enim potest confirmare Episcopus, intra cuius diocesim consistunt, etiam absque præsumpto consensu Ordinarij inferioris, quia in hoc casu Episcopus diocesanos debet talibus administrare Confirmationem & Ordines, & quoad hæc censetur eorum Episcopus.

ARTICVLVS IX.

Utrum hoc Sacramentum sit conferendum homini in fronte?

AFFIRMAT; quod patet ex dictis art. 3. Resp. dub. 3.

ARTICVLVS X.

Utrum ille qui confirmatur debeat teneri ab alio?

AFFIRMAT; quia is qui confirmatur, assumitur in militem, qui tanquam tyro in militia Christi indiget instructore. præterea accedens ad Sacramentum est spiritualiter imbecillis, qui indiget ab alio sustentari.

Aduerte 1. hunc ritum esse in Ecclesiâ antiquum, ut patet ex can. in *catechismo*, de consecratione, dist. 4. ex Hygino. vide etiam can. *si quis*, & can. *de his*, 30. quæst. 1.

Aduerte 2. vnicum debere esse patrum in Confirmatione, ut patet ex can. *non plures*, dist. 4. citata, desumpto ex Leone. item non debere esse eundem qui fuit pater in baptismo, nisi forte cogat necessitas. can. in *catechismo*, citato, quod receptus mos confirmat.

Aduerte 3. hunc patrum debere esse confirmatum, ut communiter Doctores, ex can. in *baptismo*, eadem dist. quamquam ille canon sit Concilij particularis, qui tamen videtur receptus tacito sensu Ecclesiæ, & patet ex Pontificali Romano, vbi habetur, quod non confirmatus non possit esse pater in Confirmatione; estque conforme rationi, ut non sit instructor alterius in militia Christi, qui miles non sit. cum ergo hæc ceremonia censetur grauis, grauius peccabit non confirmatus alium tenens in confirmatione.

Aduerte 4. eos excludi ab hoc munere in Confirmatione, qui excluduntur in baptismo, de quibus quæst. 67. art. 7. item virum non posse tenere uxorem, vel proprium filium in Confirmatione; quia nulla potest virgere necessitas, vnde secus faciens grauius peccat; quod est contra Sa, verbo *Confirmatio*. num. 16.

Aduerte 5. susceptores moraliter loquendo non obligari ad erudiendos eos, quos in Confirmatione tenuerunt; tum quia communi consuetudine accedunt ad hoc Sacramentum mediocriter instructi, tum quia parentes communiter curant eos instrui.

De cognatione spirituali, quæ oritur ex Confirmatione, dicitur in materia de matrimonio.

ARTICV-